

Appendix. — Europa Nro. 40.

## Regnum Mortuorum.

Litterae familiares inter vivos et mortuos.

Heineccius ad quemdam Studiosum.

*Elysium meum* 3. Maii 1808.

Novae rerum nonnexiones generant novas leges; credo, *studiosus amabilis* me intellegit, ideo cito fabulam sequentem. — Simius peregrinans spectabat Cattum, qui marem ceperat, quem saepius dimitebat, et iterum capiebat; projecit in aera, et cadentem ungvibus captabat; et se mille mortes martyrum subire debuit, donec eum exterminavit. Barbare! inclamabat Simius; debilius hoc animi leuissimato incidit in tuam potestatem, an ideo illud cruciare oportet, et cur non statim perimis?

Est holocaustum Justitiae meae, reposuit litteratus Cattus, ego in hocce granario sum Judex competens, qui ex ducentis millibus Metretis frugum unum granulum sufficit, de lege mea reus est mortis; modus enecandi, quem observo, sunt *formalitates*. Cum contemptu acotae hujus Jurisprudentiae deseruit Simius Cattum. In itinere fit ei obviam Natura in forma Harpiac, Simius acerbissime objicit ei crudelitatem ejus, narravitque, quid Cattus fecisset. Solare teipsum, fili mi, dicebat Natura; legem mortis esse a me certum est, sed formalitates addiderunt Carti.

Ita diutinus legum romanarum usus infinitas genuit formalitates, quae in discendo plus temporis, quam ipsae leges, poscebant. Dum talis *studiosus amabilis* ex Universi ate venit, non minus erat ignarus, quam qui nihil studuit, et ideo de novo dicere debuit; nam formalitatibus non observatis, causa etiam justissima perdi debuit. Causantes infinitis formalitatibus vexabantur; et si Rabulistae processum ad manus acceperint, quae vexae, qui sumpus, et quae temporis perditio? Fridericus Magnus voluit Ordinem Processualem abbreviare, licet ipse 7 annis Processum politicum habuerit. Summarium vexarum ad unum annum restringere voluit, quo omnis Processus terminari debuisset. Quidam Generalis suavit, ut ex Processibus institutus lusus Aleae (Lotto) hoc facto sumptibus parceret, et vexis meta poneretur. — Nunquam magis erravit Jurisprudentia.

Sed praesenti aevo reservata est reformatio Jurisprudentiae. Pleraque Universitates adoptant Codicem Napoleonis, ipsa divisio, et administrationis norma in Germania accipitur ex Gallia. Justitia criminalis est brevis, et reus non fert torturas ante mortem. Nec tamen putet talis *studiosus amabilis*, non oportere Jus romanum discere; in hoc legum codice, si dicere fas est, continetur *ratio divina*. Sublimis est vocatio unius Jurisconsulti, qui praecedentiam prae aliis statibus meretur. Non laborat is, instar Quaestoris, aut bonorum possessoris pro se solo, sed pro communi bono, pro *meo*, et *tuo*, quae sunt fundamenta civilis societatis; hae sunt sanctae ipsius obligationes; aequum igitur est, ut in opinione publica is, qui pro communi bono laborat, praecedat ei, qui privatum suum utile quaerit. Ex hac obligatione oritur pro studentibus necessitas, ut studia sua cum diligentia curent. Studiosum oportet esse diligentem, sibi scientias colligere, non vero, ut fieri amat, Facultates in Universitate percurrere, ac tandem illud: *Ex Digestis, nihil estis; ex Codice, scitis modice* etc. domum, et ad officium secum accipere; secus incidet in Captivitatem Algeriensem, quemadmodum *Monitor* narrat exemplum de 30. Martii (Lege in Europa Nro. 39. sub Art. Gallia.)

#### *Europa Meridionalis.*

Ex quo Princeps Asturiae Bajonnam venit, et Rex quoque Carolus IV. ibidem exspectatur, revocant Politici nimis acerbas suas accusationes contra Principem Pacis. Probabile, dicunt Ephemerides Moguntinae, quod ipsi Angli Principem Pacis, velut hostem suum, incusent, voluisse eum Portus hispanicos Anglis tradere; cum ingentibus summis patria profugere, et ipsam regiam familiam ad propudiosam fugam provocare. Rumores arte propagati, produxerunt, tumultus, quorum resultatam erat deturbatio Patris de throno per filium. Adhuc erit in memoria conspiratio octobralis, quam providentia, et vigilantia Principis Pacis suppressit, quamve Princeps Asturiae in noto suo scripto ad Regem, et Reginam confessus est; et posterior erat duntaxat continuatio prioris. — Quid, oro, Regem movere potuisset, ut partibus Angliae adhaereat? Quid potentiae, quid dignitatis accepisset sub auspiciis ejus? Cui Princeps Pacis cum thesauris suis, quos passio ad 600 Milliones calculavit, profugisset, et quam securitatem apud Brittos invenisset?

Opinio illa, quod revolutio in *Aranjuez* sit opus Angliae, communem obtinet fidem, et hanc opinionem confirmant ea, quae Cabinetum Londinense ad augendam usur-

pati  
ruit  
dict  
dera  
hac  
ciae  
Sve  
Etia  
pias  
tavi  
foec  
si ve  
nia  
nat  
quo

sica  
Sve  
pop  
imm  
gnae  
men  
dam  
saec  
bene  
ficio  
ruvi  
proc

oris  
11.  
et L  
gene  
et Ju  
Ann  
crea  
nom  
runt  
absc  
Fran  
per  
git,  
pern  
tatur

ipationem suam in India orientali hactenus egerat. Interim ruit in fatum suum praecipiti gressu. Omnia instrumenta vindictae ejus in Continente perierunt, usque ad ultimum foederatum, qui aequae praedestinationem non effugiet, quae hactenus omnes Angliae amicos terigit. Anglia promisit Sveciae classem 16. Linealium, et 20 militum millia; Finnia Svecica est ab Russis obsessa, et necdum adsunt auxilia. Etiam Anno 1807 promisit Anglia Sveciae subsidia, et copias, interim tamen amissionem Pomeraniae quietis spectavit oculis. At ponamus, seriam esse Angliae voluntatem, foederatum suum in Continente salvandi, an promissis, etiam si vellet, stare posset? Interrogenter Domus Oraniae, Sardinia, Neapolis, Brunsvicensis, Portugallia. Anglia sufflammat bellum, in quo pugnare non vult. Incitat foederatos suos, quos in decretorio momento sorti relinquit.

Verum, dato, non concesso; Mittet Sveciae 16. classicas, et 20 milia armatorum; quid haec contra potentiam Sveciae oppositam? Quid prodesset in patria, quae proprios populos alere non potest, et cui jam nunc horrenda fames imminet? Res magnae sunt aetate nostra peractae, et magnae tendunt ad consumationem. Agitationes ex imis fundamentis exurgentes evulserunt veteres rerum cardines, et fundamenta, quibus innitebantur, corruerunt. Imminet novum saeculum, et novus rerum ordo. Hoc tempus meretur, ut beneficium illud, quod hoc tempore vivamus, aliquo sacrificio aquiramus. Si pretium Caffee, Sachari, et corticis peruviani pro mensura praeteritorum accipiamus, tunc utique procul remanebunt miracula nostra!

### Biographia.

*Heineccius* unus maximorum Jurisconsultorum novioris aevi, natus Eisenbergae in Principatu Altenburgensi 11. Septembris 1680. Studuit initio Theologiae Gossariae, et Lipsiae, et jam Concionari coepit, dum ab hoc vitae genere deslexit: hinc Hallam profectus, semet Philosophiae, et Jurisprudentiae adplicuit, ubi Anno 1713. Philosophiae, Anno vero 1721. Juris Doctor, et simul Consiliarius Aulicus creatus est Quovis Anno edidit unum, aut duo opuscula, quae nomen ejus celebre effecerunt, statusque Frisiae permoverunt, ut eum ad se vocarent, quorsum etiam Anno 1724. abcessit; sed vix evolutis 3. Annis, Rex Borussiae eum Francofurtum ad Viadrum revocavit, ubi usque Annum 1733. permansit, dum Rex eum Hallam redire quodammodo coegit, ubi ad mortem usque, Annum quippe 1741. 31. Augusti permansit. Inter opera ejus memoratissima sunt: *Antiquitatum Romanorum Jurisprudentiam illustrantium syntagma.* —

*Elementa Juris Civilis secundum Ordinem Institutionum et Pandectarum. — Fundamenta stili cultioris. Elementa Philosophiae rationalis, et moralis, quibus praemisso historia philosophica. Historia Juris Civilis Romani, ac Germanici. Elementa Juris Naturae, et Gentium etc. Omnia opera ejus pro-cusa sunt Genevae 1752 in 8o.*

*Fidedignitas Ephemeridum.*

Non omni die est dies Domini; ita non omni die sunt officiosi articuli in Ephemeridibus, et tunc adparent rumores similesque contrariae assertiones. Ita legimus in Ephemeridibus gallicis, d. 21. April; nundinas Francofurtenses admodum bene cessisse; et Ephemerides Universales de 30 ejusdem contrarium habent. Hac occasione occurrit mihi Advocatus veneticus, qui in senatu dixit: — Domini mei! ante 6. hebdomades in Processu N. N. tulistis sententiam approbatoriam; hodie pro fit similis Processus, et dicitis: *Non*; est tunc, sicut nunc, bene *deliberatum: semper bene* — N. B. Dum dictae Ephemerides prodierunt, nundinae vix inchoarunt.

In Hollandia coelum plenum fidibus. Civitas olim commercialis, est nunc residentia Regis, ubi nihil, nisi de aula, et aulicis audias. Oratio Consulis ad Regem, et responsum hujus sunt energiae plena. — Secundum praemissas Circumstantias. — Residentia Regis est pro multis compensatio propter abruptum commercium. — Quatuor naves americanae, quae horsum appulerunt, et circa quas, an admitti debeant, diu consultatum erat, quin merces suas exposuerint, discedere jussae sunt. Gubernium nostrum videtur Repressalibus uti velle; nam Americani nullas externas naves admittunt in portus suos, cur alii debent naves americanas admittere?

*Canning* declaravit Londini, ante duos annos pacem sperandam non esse. Plimuthi paratur Exeditio contra *Buenos Ayres* Angli sunt fideles suo systemati. Exorto contra Borussia bello, miserunt copias ad *Buenos Ayres*, et Aegyptum, sed nihil pro foederatis; nunc iterum mittunt copias in Americam meridionalem, dum foederati eorum Sveci eis opus haberent. *Egoismus!* Sed longe periculosior hostis a Igreditur Svecos, Generalis nempe *fames*. In Svecia omnes absque discrimine status debent ad arma; sed non habent, quod rodant. Vana ergo sine viribus ira; si miles ad comedendum non habeat, quomodo habebit animum ad pugnandum? Vacuus venter, non pugnat libenter; Ergo Sveciae imminet malum externum, et intestinum, *fames* enim rodit intestina, cui malo nisi tempestive occurratur (sed unde?) tristissima praemetuenda sunt consecutaria. Quid jvant anglicana subsidia, si ligna non habeamus?